

aut vna ecclesia vno plures habeat antistites, aut doctor quidam sacer ab alio ad alium coetum transferatur. * Sunt, qui, Chryso-
 stomum, Tertullianum, Hieronymum, quod graecae eccle-
 siae doctores facere constat, secuti, Paulum hoc sibi velle, sta-
 tuunt: Episcopi est, vnas tantum celebrare nuptias. Quod si
 itaque contingat, vt, quam adsciuit sibi thori sociam, ea na-
 turae debitum soluat, a secundis nuptiis abstineto, aut, si ab-
 stinere non vult, sacro, quo ornatus est, honore exuitor. **
 Eos inter, qui cum romano pontifice faciunt, dantur, qui hunc
 horum verborum sensum esse contendunt: Quamuis, qui in
 matrimonio vixit, vxore mortua aut missa, ad sacrum admitti
 possit ordinem; absit tamen, vt ad episcopi dignitatem, aut
 aliud quoddam munus sacrum eminentius euehatur, si, ante sa-
 cri ordinis aditionem, vna plures nuptias, succedente tempore,
 egerit. *** Exemplo hanc sententiam declarabimus. PETRVS
 de MARCA summo regis tribunali, quod Pali est, in prouin-
 cia, quae Benearnea dicitur, praeerat. Vxore, quam duxe-
 rat, e vita sublata, iudicia valere iussit, sacroque se tradidit or-
 dini, in quo per varios gradus primum ad episcopi Confora-
 nensis, deinde ad archiepiscopi Tolosani, et denique ad archi-
 episcopi Parisiensis dignitatem euectus est. **** Fieri autem
 non potuisset, vt vel episcopi, ne dicam archiepiscopi, honore
 ornaretur, si, antequam sacros suscipiebat ordines, altera con-
 iuge mortua, ad altera vota transiisset. Duae adhuc supersunt
 sententiae, dignae, quae et in scenam producantur, et accura-
 tiori attentione considerentur. Primo loco eam ponimus, cui
 exornandae post SELDENVM, † HAMMONDVM †† et CA-
 LIXTVM

* Vti Papa CALIXTVS Tom. I. concil. ep. 2. teste M. WALTHERO in harm.
 bibl p. m. 1252.

** Vid. HEINECCI Abbild. d. griechsch. Kirche. Part. II. Cap VIII. §. 21.

*** Ita CORN. a LAPIDE et BELLARMINVS, quem M. SIRICIVS in diss. de
 episcopo δευτερογαμω; Gustr. 1678. oppugnat.

**** Vid. Gelehrten-Lexicon in artic. MARCA.

† In vxore hebr. Lib. III. Cap. XIX.

†† In paraphr. n. t. ad I Tim. III. 2.